

Ut laus est cerae, mollis cedensque sequatur  
 Si doctos digitos, jussaque fiat opus;  
 Et nunc informet Martem, castamque Minervam,  
 Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum;  
 Utque sacri fontes non sola incendia sistunt,  
 Saepe etiam flores vernaque prata juvant;  
 Sic hominum ingenium flecti ducique per artes  
 Non rigidas docta mobilitate decet.

Itaque summi oratores, summi etiam viri sic se aut  
 exercebant aut delectabant, immo delectabant exercebantque.  
 Nam mirum est, ut his opusculis animus intendatur remitta-  
 turque. Recipiunt enim amores, odia, iras, misericordiam,  
 urbanitatem, omnia denique, quae in vita, atque etiam in  
 foro caussisque versantur. Inest his quoque eadem, quae aliis  
 carminibus, utilitas, quod metri necessitate devincti, soluta  
 oratione laetamur, et quod facilius esse comparatio ostendit,  
 libentius scribimus. Habes plura etiam fortasse, quam requi-  
 rebas; unum tamen omisi. Non enim dixi, quae legenda  
 arbitrarer: quamquam dixi, quum dicerem, quae scribenda.  
 Tu memineris, sui cujusque generis auctores diligenter  
 eligere. (Ajunt enim, *multum legendum esse, non multa*).  
 Qui sint hi, adeo notum provocatumque est, ut demonstratione  
 non egeant: et alioqui tam immodice epistola me extendi,  
 ut dum tibi, quemadmodum studere debeas, suadeo, studendi  
 tempus abstulerim. Quin ergo pugillares resumis, et aliquid ex  
 his, vel istud ipsum, quod coeperas, scribis. Vale.

#### XI. C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

«Morbo amici admonitus, hortatur, ut tales sani perse-  
 ueremus, quales nos futuros infirmi profitemur.»

Nuper me cujusdam amici languor admonuit, optimos  
 esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut  
 avaritia aut libido sollicitat? Non amoribus seruit, non